


IGNATIUS

DIVINA MISERATIONE ET SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA

EPISCOPUS RATISBONENSIS

PATRICIUS ROMANUS, SS. D. N. LEONIS XIII. PRÆLATUS DOMESTICUS
ET SOLIO PONTIFICIO ASSISTENS etc. etc.

OMNIBUS HAS LITTERAS VISURIS SALUTEM ET BENEDICTIONEM A DOMINO.

um Fridericus Pustet, Bibliopola Ratisbonensis et Sanctæ Sedis Apostolicæ necnon Sacrorum Rituum Congregationis Typographus, tertiam editionem Ritualis Romani pararet, ecclesiasticæ disciplinæ legibus obsequens a Nobis petiit, ut hanc editionem auctoritate Nostra probare velimus. Itaque Sacerdotis a Nobis ad hoc deputati testimonio certiores facti, quod Rituale Romanum adamussim concordet cum authenticis exemplaribus a Paulo V. et Benedicto PP. XIV. editis; scientes insuper, singula ejusdem Ritualis Ratisbonæ edendi folia ad S. Rituum Congregationis Secretariam esse transmissa, et ab hac amplum integritatis testimonium meruisse: Nos libentissime concedimus, ut idem Rituale Romanum Ratisbonensibus typis exornatum in lucem emittatur.

In quorum fidem has publicas Litteras, manu Nostra signatas et Sigillo Nostro Episcopali munitas, expediri mandavimus.

Ratisbonæ die 15. Decembris 1881.

(L. S.)

+ Ignatius Ep̄ps Ratisbon.

Dr. Fr. X. Leitner, Secretarius.


TITULUS I.

CAPUT UNICUM.

DE IIS QUÆ

IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM

GENERALITER SERVANDA SUNT.

T ea, quæ ex antiquis catholicæ Ecclesiæ institutis, et sanctorum Canonum, Summorumque Pontificum Decretis, de Sacramentorum Ritibus ac Cæremoniis hoc libro præscribuntur, qua par est diligentia ac religione custodiantur, et ubique fideliter observentur; illud ante omnia scire, et observare convenit, quod Sacrosancta Tridentina Synodus *Sess. VII. Can. XIII.* de iis Ritibus decrevit in hæc verba:

2. *Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemnî Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse: anathema sit.*

3. Cum igitur in Ecclesia Dei nihil sanctius, aut utilius, nihilque excellentius, aut magis divinum habeatur, quam Sacramenta ad humani generis salutem a Christo Domino instituta, Parochus, vel quivis alius Sacerdos, ad quem eorum administratio pertinet, meminisse in primis debet, se sancta tractare, atque omni fere temporis momento ad tam sanctæ administrationis officium paratum esse oportere.

4. Quamobrem illud perpetuo curabit, ut integre, caste, pieque vitam agat; nam etsi Sacramenta ab impuris coinquinari non possint, neque a pravis Ministris eorum effectus impediri: impure tamen et indigne ea ministrantes, in æternæ mortis reatum incurrunt. Sacerdos ergo, si fuerit peccati mortalis sibi conscius (quod absit),

ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, nisi prius corde pœniteat; sed si habeat copiam Confessarii, et temporis locique ratio ferat, convenit confiteri.

5. Quacumque diei ac noctis hora ad Sacramenta ministranda vocabitur, nullam officio suo præstando (præsertim si necessitas urgeat) moram interponat, ac propterea populum sæpe, prout sese offert occasio, præmonebit, ut cum sacro ministerio opus fuerit, se quamprimum advocet, nulla temporis, aut cujuscumque incommodi habita ratione.

6. Ipse vero, antequam ad hujusmodi administrationem accedat, paullulum, si opportunitas dabitur, orationi, et sacræ rei, quam acturus est, meditationi vacabit, atque ordinem ministrandi, et cæremonias pro temporis spatio prævidebit et perleget.

7. In omni Sacramentorum administratione superpelliceo sit indutus, et desuper stola ejus coloris, quem Sacramenti Ritus exposcit; nisi in Sacramento Pœnitentiæ ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat.

8. Adhibebit quoque unum saltem, si habeat, vel plures Clericos, prout loci et Sacramenti ratio postulabit, decenti habitu, et superpelliceo pariter indutos.

9. Curabit etiam, ut sacra supellex, vestes, ornamenta, lintamina, et vasa ministerii integra, nitidaque sint et munda.

10. In Sacramentorum administratione eorum virtutem, usum, ac utilitatem, et cæremoniarum significationes, ut Concilium Tridentinum præcipit, ex Ss. Patrum et Catechismi Romani doctrina, ubi commode fieri potest, diligenter explicabit.

11. Dum Sacramentum aliquod ministrat, singula verba, quæ ad illius formam et ministerium pertinent, attente, distincte, et pie, atque clara voce pronuntiabit. Similiter et alias orationes et preces devote ac religiose dicet; nec memoriæ, quæ plerumque labitur, facile confidet, sed omnia recitabit ex libro. Reliquas præterea cæremonias ac ritus ita decenter, gravique actione peraget, ut adstantes ad coelestium rerum cogitationem erigat, et attentos reddat.

12. Ad ministrandum procedens, rei quam tractaturus est, intentus sit, nec de iis, quæ ad ipsam non pertinent, quidquam cum alio colloquatur; in ipsaque administratione actualem attentionem habere studeat, vel saltem virtualement, cum intentione faciendi, quod in eo facit Ecclesia.

13. Illud porro diligenter caveat, ne in Sacramentorum administratione aliquid quavis de causa vel occasione, directe vel indirecte exigat, aut petat; sed ea gratis ministret, et ab omni simoniæ, atque avaritiæ suspicione, nedum crimine, longissime absit. Si quid vero nomine eleemosynæ, aut devotionis studio, peracto jam Sacramento, sponte a fidelibus offeratur, id licite pro consuetudine locorum accipere poterit, nisi aliter Episcopo videatur.

14. Fidelibus alienæ Parochiæ Sacramenta non ministrabit, nisi necessitatis causa, vel de licentia Parochi, seu Ordinarii.

15. Omnes autem, qui Sacramenta suscipiunt, loco et tempore opportuno monebit, ut remoto inani colloquio, et habitu actuque indecenti, pie ac devote Sacramentis intersint, et ea, qua par est, reverentia suscipiant.

16. Librum hunc Ritualem (ubi opus fuerit) semper cum ministrabit, secum habebit, ritusque et cæremonias in eo præscriptas diligenter servabit.

17. Ceterum illorum tantum Sacramentorum, quorum administratio ad Parochos pertinet, ritus hoc opere præscribuntur, cujuscumque sunt Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema unctio, et Matrimonium. Reliqua vero duo Sacramenta Confirmationis, et Ordinis, cum propria sint Episcoporum, ritus suos habent in Pontificali præscriptos. Et ea, quæ de iis, atque aliis Sacramentis scire, servare, et docere Parochi debent, cum ex aliis libris, tum præcipue ex Catechismo Romano sumi possunt. Siquidem hic de iis fere tantum agere instituti operis ratio postulat, quæ ad ipsorum quinque Sacramentorum ritus pertinent.

18. Postremo quisquis Sacramenta administrare tenetur, habeat libros necessarios ad officium suum pertinentes, eosque præsertim, in quibus variarum parochialium functionum notæ ad futuram rei memoriam describuntur, ut ad finem hujus Ritualis habeatur.